

ergo debet esse aliquis dolor conceptus ex amissa beatitudine.

Ad hoc argument. respondetur, vtrumque S. Doct. intelligendum esse non de pœna sensus, nec de dolore ex amissione beatitudinis occasionato, sed tantum de ipsa pœna damni quoad suum præcisè conceptum primum, quæ licet sit gravior omni pœna privativa, seu sensus, respective ad bonitatem qua privat, iuxta illud Chrysost. hom. 47. ad populum Antioch. *Ego autem illius gloriæ amissionem gebenna multo amarior esse dico; est tamen mitissima respectivè ad debitum.* Quam solutionem tradit D. Thom. quest. 5. de Mal. art. 1. ad 3. his verbis: *Ad tertium dicendum, quod gravitas alicuius pœna potest attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius boni, quod privatur per malum pœna, & sic carentia visionis, & fruitionis Dei est gravissima pœna. Alio modo per comparationem ad eum, qui punitur. & sic tantò est gravior pœna, quantò id, quod subtrahitur, est magis proprium & conaturalè ei, cui subtrahitur: sicut magis dicemus puniri hominem, si auferretur ei patrimonium suum, quam si impederetur, ne perveniat ad regnum, quod ei non debetur. Et per hunc modum dicitur esse mitissima omnium pœnarum sola carentia visionis, in quantum visio divine essentia est quoddam bonum omnino supernaturalè. Ex quibus verbis clarissimè constat, SS. Doctores pro pœna mitissima solum intelligere pœnam damni: & quod in actu secundo non est obiectum doloris in parvulis, sicut nec privatio regni in eo, qui nullum habet debitum ad illud. Pro quo recolantur dicta §. 4.*

97 Arguitur secundo ratione: Nam amissio, seu non adeptio boni per modum pœna in subiecto capaci, & ad illud consequendum aliquo modo ordinato naturaliter excitat dolorem, & tristitiam; sed beatitudo est maximum bonum, eratque parvulis possibilis, & ad illam fuerunt ordinati, cum fuerint creati in statu elevationis, & propter eandem beatitudinem consequendam: ergo amissio illius nequit non causare in eis aliquem dolorem.

Confirmatur primò, & simul refellitur communis solutio: Nam ideo prudentes non dolent ex negatione gratiarum, quas vident alijs similibus factas, quia ad illas nunquam fuerunt ordinati: qua ratione illarum carentia non habet rationem privationis, & pœna, sed purè negationis; sed parvuli fuerunt saltem extrinsecè ordinati ad beatitudinem, & propterea eius carentia habet rationem privationis, & pœna: ergo debent dolere de eius amissione.

Confirmatur secundò: Nam de ratione pœna est, quod sit involuntaria, immò & contra voluntatem: ergo carentia visionis in parvulis est contra eorum voluntatem; sed quod re-

pugnat actu voluntati, nequit non generare aliquem dolorem: ergo. ¶ Confirmatur tertio, & simul refellitur communis solutio, quæ præcedenti confirmationi solet adhiberi. Nam parvuli non possunt non appetere beatitudinem: ergo carentia illius est contra voluntatem actualem; sed quod repugnat voluntati actuali, non potest non generare interiore tristitiam: ergo.

Adde primò: Ad malum apprehensum sequitur tristitia; sed carentia beatitudinis est mala respectu parvulorum (aliàs non haberet rationem pœna) apprehenditurque ab illis ut talis, ut satis colligitur ex Div. Thom. in 2. dist. 33. quest. 2. art. 2. ergo sequitur in eis aliqua tristitia. ¶ Adde secundò. Nam iuxta communem sensum Theologorum pœna damni est verè pœna; sed inepte diceretur in parvulis pœna, si nullo modo cruciatur causando aliquam afflictionem, sicut nec pœna sensus: ergo.

98 Hoc argumentum cum omnibus adiunctis difficultate non caret. Sed non propterea descendenda est communis sententia. Ad illud ergo respondetur, iuxta rationem primam nostræ assertionis deducam ex D. Thom. quest. 5. de Malo art. 3. maiorem esse veram, si addatur alia conditio, nempe quod subiectum privatum tali bono, & ad illud ordinatum, cognoscat, se esse illo privatum. At parvuli non id cognoscunt, ut docet Ang. Doct. His perspicuis verbis: *Et ideo se privari tali bono anime puerorum non cognoscunt.* Ex quo infert: *Et propter hoc non dolent.* Per quod satis patet ad confirmationes, & addimenta, ut recolenti constabit.

99 Secundò respondetur iuxta posteriorem nostram rationem, permittendo, quod parvuli cognoscat se esse vita æterna privatos, & causam quare ab ea exclusi sunt, ut permittit D. Thom. loco citato Sent. *Nec tamen ex aliquo modo (immediate subiungit) affligentur.* Siquidem vir prudens non affligitur propter carentiam boni, ad quod habet aptitudinem, & aliquo modo est ordinatus; si aliunde cognoscit non habere ex se proportionem proximam, & quod per ipsum non stat illam non habere. Pueri autem cum originali decedentes, si cognoscunt ea, quæ proximè retulimus, pariter cognoscunt se non habuisse proportionem proximam ad consequendam æternam beatitudinem, neque per illos itersse, quod illam non habuerint: propterea nullum percipiunt dolorem. ¶ Per quod constat ad primam confirmationem. Et ponamus exemplum, quo res hæc elucidatur. Quis ordinatur extrinsecè ad episcopatum, & quantum est ex se ponit media omnia intrinsecè, quibus fiat idoneus; accidit tamen, quod illam dignitatem non consequatur, non propterea, si prudens est, dolet: quia scilicet per ipsum non stetit, nec erat in sua potestate proxima illam habere.

Ad

Ad secundam respondetur, ad rationem pœnae sufficere, quod sit contra voluntatem actualem, vel habitualem; at ut pariat tristitiam in actu, determinatè requiritur, quod sit contra voluntatem actualem; & hoc non habet in parvulis carentia visionis. ¶ Ad tertiam, quæ poterat esse replica contra hanc solutionem, prout in e. infirmatur: Respondetur, quod parvuli non appetunt beatitudinem, sive appetitu innato, sive appetitu elicto efficaci, ut alibi traditum est de omni creatura rationali omnibus viribus gratiæ destituta, sed tantum quodam appetitu elicto inefficaci & conditionato, qui dicitur *voluntas*; & quod repugnat huic appetitui, non est necesse, quod causet tristitiam.

Ad primum additamentum respondetur ex dictis, quod carentia boni, apprehensa ut pœna tunc generat tristitiam, quando subiectum potest se disponere ad illud consequendum, sed verò quando non potest se disponere; nec per ipsum stat, quod illud non consequatur, ut contingit in parvulis. Secundum parum vrget: siquidem in nostro modo dicendi ad rationem pœna non pertinet dolor, sed damnum privans perfectione debita: Urget tamen contra doctrinam Ferre relatam num. 53. ob quam non facile se expedit.

§. IX.

Sententia opposita vltima assertioni cum suis fundamentis.

100 **P**RO sententia concedente parvulis beatitudinem naturalem communiter referuntur Catharinus, Albertus Piphius, & alij. Eamque novissimè tenet Amicus in hoc tract. disp. 25. num. 146. illamque probabilem indicant Salmer. 5. ad Rom. dist. 48. Salas in præf. disp. 11. sect. 6. & probabiliorum Martinez in præf. quest. 83. art. 4. dub. 2. & alij Recentiores. Pro qua.

Arguitur primò ex D. Thom. in 2. dist. 33. quest. 2. art. 2. ad vltim. vbi sic ait: *Dicendum, quod quavis pueri non baptizati sint separati à Deo, quantum ad illam coniunctionem, quæ est per gloriam; non tamen ab eo penitus sunt separati, immò sibi coniunguntur per participationem naturalem bonorum. Et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & delectatione.* Sed beatitudo naturalis consistit in cognitione, & delectatione Dei naturali, ad quam sequitur delectatio naturalis: ergo sunt beati beatitudine naturali.

Ad hoc argument. non potest plene satisfieri, nisi plura mutantur, quæ pertinent directe ad sequentem tract. Interim breviter respondetur, quod licet pueri habeant in limbo aliquam cognitionem, & amorem Dei autho-

Thom. III. Paul. Theol. Salm.

ris naturæ, nec non aliquam delectationem, non propterea sunt beati beatitudine naturali: quia ad hanc non sufficit qualibet cognitio, & dilectio Dei naturalis, sed requiritur perfectissima, & appetitio Dei super omnia. Et huius dilectionis non sunt capaces parvuli maculati peccato originali; aliàs essent conversi, & averti à Deo vltimo fine, quod repugnat adhuc sub diversa illa consideratione finis naturalis, & supernaturalis, ut pro nunc supponimus. Unde ex testimonio D. Thom. & alijs similibus nihil infertur contra nos.

101 Arguitur secundò. Nam contra ordinem divinæ iustitiæ est, quod homo privetur perfectione naturalis maxima sibi debita propter peccatum habituale aliena voluntate contractum; sed beatitudo naturalis est maxima perfectio naturalis homini debita: ergo contra ordinem iustitiæ est, quod propter peccatum originale conservat ius ad beatitudinem naturalem, sicut ad bona alia naturalia sibi debita, ut docet D. Thom. quest. 5. de Malo art. 2. ergo potest beati in sensu composito peccati originalis beatitudine naturali, & delectato beatur. ¶ Confirmatur secundò: Nam iuxta commune axioma Theologorum, *Naturalia post peccatum originale manserunt integra*, sicut in Angelis; sed in demonibus est beatitudo naturalis, cum habeant naturalem cognitionem, & amorem Dei naturalem, quem habuerunt, antequam peccassent, & ante suum peccatum fuerunt beati beatitudine naturali, ut nunc supponimus: ergo etiam parvuli simul cum peccato originali sunt beati beatitudine naturali, si simul conceditur eis cognitio, & amor naturalis Dei.

Ad argument. respondetur, non esse contra ordinem iustitiæ, quod per peccatum aliena voluntate contractum homo privetur perfectione naturali sibi debita, quando perfectio hæc dependet saltem tanquam à removente prohibens à gratia supernaturali: nam eo ipso, quod ratione illius privetur iuste ipsa gratia, consequens est, quod etiam privetur predicta perfectione naturali sibi debita. Cum igitur cognitio, & dilectio Dei naturalis super omnia, in qua beatitudo naturalis consistit, dependeat post peccatum à gratia habituali, seu sanctificante, saltem tanquam à removente prohibens, ut sequenti tract. latius & expressè dicemus, propterea non est contra ordinem iustitiæ, quod parvuli decedentes cum peccato originali, & privati gratia habituali, & omni iure ad illam, priventur etiam beatitudine naturali (quæ aliàs erat sibi debita) & omni iure ad illam. Per quod constat ad primam probationem.

Ad secundam respondetur, quod illud axioma, quantum attinet ad hominem lapsum,

T

sq.

solum intelligitur de perfectionibus naturalibus habitualibus, fecus vero de perfectionibus actualibus, ut sunt cognitio, & dilectio Dei naturalis. Sed dato quod manserint in homine prædictæ perfectiones naturales actuales, seu ius actuale ad illas, sicut manserunt in demonibus, adhuc non inferitur, quod exultat ius ad beatitudinem, sed tantum ad prædictas operationes quoad entitatem, ineptas tamen in peccatore ad constituendam beatitudinem naturalem. Hæc enim non debet consistere in prædictis operationibus utcumque seu entitative sumptis præcisè, sed prout connotant earentiam peccati. Et ratio est: quia debet consistere in dilectione Dei super omnia, & appreciativa intra ordinem naturalem, vel in cognitione illam inferente. At prædicta dilectio quoad entitatem, licet compatibilis sit cum peccato, fecus vero ut appreciativa super omnia, & propterea nec in demonibus, ubi existunt prædictæ operationes quoad entitatem, nec in parvulis non baptizatis, & si existerent, habet locum beatitudo naturalis. Sed maiorem extensionem huius doctrinæ differimus vsque ad sequentem tract.

102 Arguitur tertio, & erit replica contra solutionem datam: Nam parvuli ratione culpæ originalis nullam tristitiam, vel dolorem habebunt, ut probavimus §. 4. sed hoc non potest stare, si ob peccatum originale privantur beatitudine naturali: non enim ad amissionem illius manet recursum ad duo capita ibi ponderata pro amissione beatitudinis supernaturalis, nempe defectus cognitionis, vel defectus iuris, seu aptitudinis, & ordinationis ad eam: ergo non privantur beatitudine naturali.

Ad hoc argument. seu replicam etiam ex dictis respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Nam supposito peccato, non est in homine ius, nec aptitudo ad beatitudinem naturalem: cum non maneat in eo vllum ius ad gratiam, sine qua beatitudo adhuc naturalis haberi non valet: neque per ipsum stat, si peccatum est tantum originale, quod eam non consequatur: ideoque non est causa alicuius doloris. *Maximè*: Quia in parvulis manet aliqualis cognitio, & dilectio Dei naturalis ut nos docuit D. Thom. & fortè tota entitas harum actionum, in quibus aliàs consisteret beatitudo naturalis, si connotaret absentiam peccati. Non tamen esse necesse, quod parvuli cognoscant non consistere beatitudinem in illis operationibus prout sic acceptis: & propter hanc rationem sicut conceditur in eis aliqua delectatio orta ex prædictis operationibus, ita non generatur aliqua tristitia, seu dolor.

103 Arguitur quarto: Quia non obstante culpa originali, concedit parvulis Deus plura dona sibi indebita: nec negabit eis beatitudinem naturalem, quæ titulo naturalitatis debetur ipsis consideratis saltem secundum se.

Consequentia videtur legitima. Et antecedens probatur: nam post extremum iudicium conferet Deus eis corpora perfecta, quæ habituri essent, si ad adultam ætatem pervenissent, ut docet D. Thom. in Addit. quæst. 86. art. 1. item dotabit eos immortalitate, & impassibilitate, erunt impeccabiles, carebuntque fomite ad peccandum; sed hæc omnia sunt eis indebita: ergo conferet eis Deus plura dona eis non debita.

Ad hoc argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis ex dictis potest desumi: Nam prædicta dona, prout in eis reperiuntur, non sunt incompatibilia ex se cum peccato originali: beatitudo vero naturalis, utpotè consistens in amore naturali Dei super omnia vel formaliter, vel præsuppositivè, vel consequenter, est incompatibilis cum peccato originali, ut sæpè dictum est. Unde non est eadem ratio.

Adde: illa dona in argumento recensita esse quodammodo connaturalia parvulis, eisque debita, quod patebit discurrendo per singula. Resurrectio enim ex parte termini solum importat unionem animæ cum corpore: hæc autem est eis connaturalis: quia, ut inquit D. Thom. connaturalior est status coniunctionis, quam status separationis, licet ex parte agentis non possit fieri viribus naturæ. Sed nec ex hoc capite amittit suam connaturalitatem: quia valde connaturale est, & persè exactum, ut is, qui contraxit culpam, sustineat pœnam; anima autem separata non contrahit culpam, sed ut vnita corpori & totum suppositum, quæ æquum est, quod fiat resurrectio. Quo supposito æquum etiam, & valde connaturale est, quod omnes resurgant integri cum omni perfectione naturali eis debita, & in ea quantitate quam habituri essent in ætate adulta, si ad eam pervenissent, quod etiam continget in damnatis, quibus omnia dona omnino gratuita denegantur eo, quod resurrectio est opus divinæ virtutis, & Dei opera debent esse perfecta.

Immortalitas, & impassibilitas etiam est eis connaturalis, non ab intrinseco, sicut erit in beatis, sed tantum ab extrinseco, tum propter rationem proximè datam, nempe ut pœnam æternam, quam meretur peccatum originale, sustineat totum subiectum, quod illud contraxit. Tum quia post diem iudicij cessabit omnis alteratio corruptiva, sicut & motus cœli, & ita ex defectu agentis exterioris resultabit prædicta perfectio, quæ connaturalis est illi statui.

Impeccabilitas etiam est eis quodammodo connaturalis ratione status, licet non ab intrinseco ratione alicuius doni supernaturalis. Quia æquum est, quod parvuli maneat perpetuo in eo statu, in quo decesserunt: vnde cum infantibus nullam inordinatam dispositionem actualem ha-

habuerint in hac vita, ad suavem & connaturalem providentiam Dei spectat, ut neget eis omnem concursum ad materiale cuiuscumque peccati, ut ita repugnantia, quam habuerunt in hac vita ad peccandum actualiter, in alia correspondeat repugnantia proveniens ex providentia Dei extrinseca. Idem dicendum est de fomite peccati, qui ex prædicta providentia cohibetur ab omni motu peccaminoso.

Ex his patet disparitas inter hos parvulos, & hominem creatum in puris naturalibus. Hic, cum non habeat obicem peccati, potest consequi beatitudinem naturalem; fecus vero infantes, de quibus est sermo. ¶ Sed inquires, an animæ omnium horum parvulorum cognoscant aliqua obiecta naturalia? Respondetur affirmativè: ut docet D. Thomas in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 2. art. in corp. & per species infusus, quibus habebunt aliquam cognitionem Dei authoris naturæ.

DUBIUM I. Appendix.

An peccatum, quod homo primò perveniens ad usum rationis committit, possit esse veniale?

HOC dubium appellatur *appendix*, vel respectivè ad totum tract. ut ex se liquet, vel respectivè ad hanc vltimam disput. utpotè conducentis ad assignandum locum aptum homini, qui cum solo peccato veniali, simul & originali ex hac vita decederet, ut ex infra dicendis constabit. Alij alijs terminis solent hoc dubium excitare, videlicet, *an peccatum veniale possit esse cum solo originali?* Ita Div. Thom. in hac 1. 2. quæst. 89. art. 6. (ubi præfenti tractatui finem imposuit) & cum eo plures eius Expositores. Sed reipsa in idem coincidit cum titulo à nobis proposito, ut omnibus est persè notum. Alij sub his vocibus, *an puer primò perveniens ad usum rationis teneatur sub mortali in Deum se convertere?* Hic etiam titulus reducit ad supra positum, quia nomine sumit à ratione, in qua nositer fundatur. Sed ante eius decisionem plura notata digna præsupponenda sunt.

§. I.

Notabilia aliqua pro explanatione rituli.

104 **C**UM hoc dubium præcipuè excutitur propter puerum primò perveniens ad usum rationis, illud imprimis sciendum est ad eius intelligentiam, rationem, estò sit eadem potentia cum intellectu, importare speciale actum: nam *intellectus* dicitur talis, quatenus fertur simpliciter in suum obiectum per simplicem apprehensionem: *ratio* vero, quatenus importat discursum, seu ratiocinium. Tom. III. Paul. Theol. Salm.

nationem, ut inquit D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 8. sicut eadem potentia est voluntas, & liberum arbitrium, sed *voluntas* dicitur talis, quatenus simpliciter fertur circa finem; & *liberum arbitrium* circa media, ut etiam docet Ang. Doct. ibidem quæst. 83. art. 4. Nomine igitur *rationis* non intelligimus in præfenti potentiam intellectivam, prout dicit simplicem apprehensionem, quia dormientes (idem dicendum est de parvulis, & amentibus) habent aliquos actus intellectus, & voluntatis, ut ex D. Thom. tradunt NN. Salmant. tract. 10. disp. 2. num. 109. immò videmus, quòd dormiendo non solum eliciunt aliquos actus circa res universales, sed etiam syllogizant, cum tamen sensus solum sint de particularibus. Similiter habent aliquos actus voluntatis, puta desiderium de rebus spiritualibus; & tamen non habent usum rationis: quia non possunt operari liberè, quiddam Magist. Victoria dicit. ¶ Ex quo inferitur, ad usum rationis, prout de eo in præfenti loquimur, requiri, quòd intellectus taliter proponat obiectum cum indifferentia, quòd cognoscatur, bonum honestum esse distinctum ab vtili, & delectabili, & possit illud discernere à malo sibi opposito. Hoc autem præsupposito voluntas libera erit, & sic aderit vsus rationis includens in se actum intellectus ut dirigentis, & actum voluntatis ut imperantis.

105 Sed dubium insurgit: Unde oritur, quòd vnus homo habeat usum rationis, & alius non? cum uterque gaudeat intellectu, & voluntate eiusdem rationis, & fortè intellectus istius erit perfectior individualiter intellectu illius. ¶ Circa quod duo ut certa debemus supponere. Primum est, quòd differentia hæc non provenit ex parte prædictarum potentiarum: quia cum istæ potentie dentur in statu separationis, sequeretur, quòd anima separata careat vsu rationis, si in hoc statu illo carebat, quòd nullus catholicus concedet. Secundum est, quòd non provenit ex aliquo habitu, quia à principio creationis intellectus in omnibus se habet tanquam tabula rasa. Quando vero pervenitur ad usum rationis, in omnibus producitur synderesis, qui est habitus primorum principiorum practicozum, ut tradit N. Collegium Complut. in sine Logice. Hic autem non destruitur, et si quis in infantiam, aut demenciam incidat, aut somno se committat. Unde opus est, quòd differentia illa proveniat ex corpore, seu sensibus.

106 Pro quo nota, quòd cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensibus, necesse est intelligentem phantasmata speculari. Unde corruptio & imperfectio in sentiendo necessariò debet participari ab intellectu: vnde ex diverso concursu sensuum interiorum oritur dicta differentia in intellectibus. Quæ ratione *Philos. 2. de Anima* diversitatem ingeniorum

reducit ad inaequalitatem sensuum, & ait, quòd carne molles & delicatiores sunt aptiores mente & ingenio: quia omnes sensus fundantur in tactu, qui perfectior est in carne perfectiori. Inde etiam docet Div. Thom. 1. part. quæst. 84. art. 8. quòd ligatus sensibus ligatur intellectus.

Ex dictis iam quispiam capere potest, cur pueri non habeant usum rationis. Nam sensus interni non rectè agunt suas operationes ob nimiam humiditatem, quæ in illorum sensibus abundat, & impedit, ne firmiter iudicent de ijs, quæ apprehendunt, vel firmiter retineant species. In dormientibus hoc contingit ex abundantia vaporis fumosi ascendens in cerebrum, qui similiter sensus internos impedit, quo resolutio sensus solvuntur, & quantò magis sensus ex illius absentia solvuntur, tantò magis ratio liberatur. In phreneticis oritur ex multo fervore sanguinis, & motu spirituum animalium, qui faciunt, ut species, quæ retinentur, propter magnam commotionem spirituum, & bullitionem sanguinis confundantur: Unde provenit, quòd sensus ferment chimæras. Vehemens passio per se etiam privat usum rationis, vel quia causat magnam distractionem, vel per quandam immutationem corporalem: ideoque *multi propter abundantiam amoris, & ire sunt in insaniam conversi*, ut inquit D. Thom. 1. 2. quæst. 77. art. 2.

107 Inquires, an possit dari usus rationis circa vnam materiam, & non circa aliam? Respondetur cum Montef. & Ferre affirmativè. Et hoc constat in maniacis, qui videntur carere usu rationis circa materiam aliquam particularem, sicut amentes circa omnes. Maximè, quia non sufficit ad usum rationis bona dispositio qualitatium naturalium, sed insuper desideratur multitudo specierum ad iudicandum, & consulendum, quid vitandum, quid prosequendum sit: unde si quis amitteret omnes species, estò esset optimè dispositus, usu rationis careret: potest ergo contingere, ut quis habeat species circa vnam materiam moralem, & non circa aliam, quia non acquiruntur simul species omnium: & tunc poterit discernere de vna materia, & non de alia.

108 Deinde sciendum est, quid intelligatur per primum instans, in quo primò dicitur homo habere usum rationis? Nam per illud instans non videtur intelligi quoddam instans physicum & indivisibile: cum ad usum rationis requiratur illa duratio, quæ satis sit, ut homo possit discernere inter bonum rationis, & bonum sensibile, & deliberare, quid ex istis sit prosequendum, & quid respondendum; ad quod non sufficit prædictum instans. Pro quo nota, plures actus concurrere in primo instanti usus rationis: primus est cognitio, & iudicium speculativum intellectus respectu boni in communi,

in quo continetur cognitio ipsius Dei, qui est præcipuum bonum sub illo contentum. Ad hunc sequitur amor voluntatis. Ad istis primis actibus nequit peccare, estò quodammodo liberè eliciantur, quia sunt specialiter à Deo, cui specialiter competit movere ad primum actum naturæ, ut constat in Angelis, & gravibus, seu levibus. Pro quo recolatur, quæ diximus tract. 7. disp. 3. dub. 4. quia ratione instans sive physicum, sive morale, in quo elicitur hic duplex actus, non venit in rationem primè instantis usus rationis, de quo procedit quæstio, ut persè patet. Et cum operationes subsequentes nequeant esse simul cum actibus prædictis, manifestum est, instans primum non esse physicum, sed includere aliquod tempus, licet quia hæc duratio brevissima est, moraliter dicitur vnum, & primum instans.

Post actus recensitos format intellectus quendam syllogismum practicum circa agibilia, taliter quòd loco maioris, sumitur hæc propositio *bonum est faciendum*, quam cum sit vna ex primis principijs practicis, cognoscit sine vilo discursu per synderesim, cuius officium est inclinare ad bonum morale, & illud à malo discernere. Et quando huiusmodi actum elicit, iam dicitur habere usum rationis, quia in eo resplendet discretio boni, & mali moralis, quod est primarium munus rationis practicæ. Post huiusmodi actum inquit media ad consequendum finem. Et inter alia duo potissimè intellectus offert voluntati, alterum ex suggestione appetitus, nempe vivere secundum delectabilia gustus, & tactus; alterum ex lumine rationis à natura nobis infuso, ut vivere honestè secundum regulas virtutis: vnde sub illa maiori hæc duas potest subsumere minores: & quando iam ad alteram determinatur, tunc completur prædictum instans morale rationis. Quòd in aliquibus erit brevius, & in alijs latius iuxta celeritatem & acumen rationis, ad quod non parum conducit bona educatio, & doctrina. Unde non idem tempus, seu ætas est, ubi omnibus pueris hæc occurrunt, sed aliquibus ante septimum annum: in cuius signum tradit ex D. Greg. D. Thom. 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 2. quendam puerum ante septimum annum raptum fuisse è parentis manibus ad inferos propter quoddam peccatum blasphemiz: Alijs verò post septennium: regulariter tamen in septennio. Ex quibus iam constat, quodnam sit primum instans rationis, de quo loquimur.

109 Tandem cum in hoc dubio primum locum teneat præceptum conversionis per amorem in Deum, sciendum venit, de quo amore sit sermo: nam potest esse formalis & explicitus, vel virtualis, & in amore boni honesti in communi implicitus: & potest esse amor Dei finis naturalis, seu supernaturalis: & potest esse amor absolutus & efficax, vel inefficax & per modum

§. II.

D. Thom. sententia, primaque eius ratio.

110 **D**icendum est, peccatum, quòd homo primò perveniens ad usum rationis committit, non posse esse veniale. Et probatur primò à posteriori, ratione D. Thom. contenta in argumento *Sed contra* art. citati in limine huius difficultatis: Nam peccatum veniale nequit coniungi cum solo originali: ergo peccatum, quod homo primò committit, nequit esse veniale. Antecedens probatur si peccatum veniale posset coniungi cum solo originali, sequeretur, quòd in altera vita non daretur locus seu receptaculum, in quo puniretur; sed hoc est maximum inconveniens: quia nullus est status huius vite, maxime communis & regularis, cui non correspondeat certus locus in alia: ergo peccatum veniale nequit coniungi cum solo originali. Sequela maioris probatur: nam locus ille non est cælum, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum, maxime culpa originali: neque infernus, quia est locus destinatus persè decedentibus cum mortali, licet ibi per accidens puniatur etià veniale, & originale: neque limbus SS. PP. quia locus iste non erat destinatus ad purganda peccata, sed præcisè ad detinendas eorum animas vsque ad mortem Christi: neque limbus parvulorum, quia ibi nulla est pœna sensus, qua puniri debet peccatum veniale: neque tandem purgatorium, quia illuc non descendunt, nisi ij qui decedunt cum gratia, & non plenè satisfecerunt pro actualibus, ut post plenam satisfactionem ascendant in cælum; sed non est assignabilis alius pro decedentibus ex hac vita: ergo nullus est locus, in quo puniatur peccatum veniale cum solo originali.

111 Respondebis primò cum Suario, & Vazquez, ad divinam providentiam spectare, ut non permittat hominem in tali statu discedere. Suarium, & Vazquez sequuntur plures Iesu ite.

Sed hæc evasio (præterquam quòd videtur profus voluntaria, & omni solido fundamento destituta, teste Castro Palao tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 3.) refellitur primò: Nam in quolibet statu huius vite contingit hominem mori, & in nullo est à morte securus. Tum etià, & præcipue: nam est manifestum inconveniens, quòd in hac vita detur defectò aliquis status in pluribus frequentissimè contingens, cui non correspondeat debitus locus pœnæ; sed iuxta adversariorum sententiam coniunctio peccati venialis cum solo originali est iuxta providentiam ordinariam contingens in pluribus, & frequens: ergo vel non est concedenda prædicta coniunctio, vel assignari debet

velletatis. Sed ut certum omnino habendum est, hunc vicium non sufficere. Tum quia, ut infra dicemus, amor iste debet esse talis conditionis, ut nequeat comparari cum originali peccato, & amor naturalis, & inefficax potest ei coexistere, ut vidimus dub. præc. Tum ob rationes infra proponendas, quæ convincunt de amore efficacem.

Item ut non minus certum habendum est, amorem Dei efficacem pluries in vita obligare. ut constat ex quatuor propositionibus, quas ut scandalosus damnarunt Alexander VII. & Innoc. XI. Prima erat: *Homo nullo unquam vite tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi divinorum præceptorum ad eas virtutes pertinetium*, & est prima in ordine inter damnatas ab Alexandro. Sequentes reperiuntur inter damnatas ab Innocentio, quarum vna, & in ordine quinta est: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis semel in vita eliceret, condemnare non audemus*. Alia, & in ordine sexta est: *Probabile est, nec singulis quinquevis persè obligare præceptum charitatis*. Altera, & in ordine septima est: *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus*. Ex quibus colligitur, præceptum charitatis formalis persè obligare multoties, & infra quinquevis, & saltem semel in quolibet anno iuxta plures expositores prædictarum propositionum; potest tamen quis per accidens à peccato excusari, si adsit ignorantia invencibilis de Deo, vel de præcepto. His ita prælibatis, circa prædictam difficultatem:

Duplex versatur sententia. Prima est affirmativa quam defendit schola Societatis, & plures recentiores ex familia Seraphica. Ex vi cuius tenentur negare præceptum obligans puerum, ad usum rationis primò pervenientem, ad se convertendum in Deum per amorem efficacem sive supernaturalem, sive naturalem, sive implicitum, sive explicitum. Secunda est negativa, quam docet D. Thom. loco in limine controversiæ relato, quem sequuntur omnes eius discipuli, & præcipue NN. Salm. in hoc tract. disp. 20. per totam. Ex qua moventur defendere, extare præceptum persè obligans puerum ad conversionem efficacem in Deum finem supernaturalem; & per accidens ratione ignorantie, aut impotentie ad conversionem efficacem formalem in Deum finem naturalem, vel ad implicitam, qualis est propositum efficax vivendi rectè & honestè. Quam sententiam, ut potè probabiliorè, amplectimur explanandam.

**



ad debitam pœnam locus in altera vita ei persè correspondens. Tum denique, & simul retorquetur exemplum, quo prædicta evasio à suis Authoribus fulcitur: Nam licet Deus disponat ex infallibilitate suæ prædestinationis, quòd nullus prædestinatus in sensu composito peccati mortalis moriatur, adhuc tamen ei correspondet secundum præsentem iustitiam locus aptus, & persè debitus peccato mortali: ergo dicendum est de statu peccati venialis cum solo originali.

112 Respondetis secundò cum alijs Socijs, quòd peccatum veniale cum solo originali coniunctum puniri in æternum aliqua pœna levi sensus, pro qua locus destinatus est limbus: sicut infernus est locus destinatus non solum pro mortalibus, sed etiam pro venialibus simul cum mortali.

Sed hæc solutio, supposita doctrina tradita dub. præced. quæ est communissima inter Theologos, non potest sustineri. Siquidem iuxta præsentem providentiam limbus non est locus destinatus ad punitionem peccatorum actualium, nec ibi est aliqua pœna sensus, sed tantum pœna damni: ergo contra communem sensum Theologorum agit, qui assignat locum limbi pro punitione peccatoris decedentis cum peccato veniali cum solo originali. *Maximè*: Quia pœna sensus debita peccato veniali, sive temporalis persè, sive æterna peraccidens ex capite conjunctionis cum originali solo, non debet esse mitior, quàm pœna quæ persè debetur peccato veniali in purgatorio, vel peraccidens in inferno: si enim peccatum veniale est æquè grave aut gravius, quando coniungitur cum solo originali, ac quando coniungitur cum mortali, aut cum gratia, non est cur nequeat deberi ei gravior pœna sensus tam persè, quàm peraccidens; atqui pœna sensus, qua peraccidens in inferno puniuntur peccata venialia, est valde gravis, & similiter pœna sensus, qua puniuntur temporaliter persè in purgatorio, & utraque est inflicta ab igne devorante: ergo pœna sensus assignata à favoribus huius solutionis, vtpotè levisima, quæ tantum habet locum in limbo, non est sufficiens ad pœnam peccati venialis cum solo originali. Nec paritas pœnæ sensus, qua puniuntur peccata venialia in inferno, eis favet. Siquidem hæc potest ex se proportionari cum gravitate peccati venialis per maiorem, vel minorem intentionem; qua ratione plures docent, quòd pœna purgatorij potest intensivè excedere pœnam, qua puniuntur in inferno, non solum venialia, sed etiam mortalia.

113 Respondetis tertio, locum destinatum à divina providentia pro pœna peccati venialis cum solo originali esse infernum. Quæ solutio fulcitur potest ex D. Thom. in 2. dist. 42. quest. 1. art. 5. ad 7. ubi ait: *Si ponatur per-*

impossibile mori aliquem cum veniali, & solo originali; tunc satis puniretur sensibili pœna in inferno, & pœna illa esset æterna. Idem tradit quasi. 5. de Malo art. 2. ad 8.

Sed contra est: Nam pœna inferni persè solum est destinata pro peccato mortali: ideoque D. Thom. in præf. in prædicto argum. Sed contra inquit: *In inferno autem homines destruantur propter solum peccatum mortale, vti quæ personale: ergo non est locus destinatus pro veniali cum solo originali.* ¶ Adde: Nam peccato veniali, si coniungatur cum originali, iuxta præsentem providentiam vel debetur persè pœna inferni ratione sui, vel ratione peccati originalis, vel ratione coniuncti? Primum dici non potest: aliàs omnes decedentes cum venialibus punirentur in inferno, quod est hæreticum. Neque secundum: aliàs nullus decedens cum solo originali portaretur in limbum. Neque tertium: aliàs peccatum originale puniretur pœna sensus. Igitur infernus non est locus destinatus ad pœnam peccati venialis cum solo originali.

Neque ex D. Thom. id convincitur. Tum quia D. Thom. loquitur iuxta hypotheseim impossibilem saltem iuxta præsentem providentiam, & ex impossibili sequitur quodlibet; & in præf. loco loquitur iuxta prædictam providentiam. Tum etiam: quia in prædicto argum. Sed contra aperte docet, quòd tantum ij, qui decedunt cum mortali personali, destruuntur in inferno. Quibus verbis videtur tractasse sententiam, quam docuerat in præcatis locis.

114 Respondetis quartò cum alijs, pueros decedentes cum veniali, & solo originali primò ire ad purgatorium, ut ibi luant pœnam debitam pro veniali, quæ in omni hypothesei est temporalis, & post plenam solutionem illius descendere in limbum pro originali. Hæc evasio est valde consona doctrinæ, & sententiæ Scoti dub. 4. relati.

Sed refellitur imprimis: quia falsum omnino est, peccata venialia coniuncta cum originali puniri præcisè pœna temporali: sicut nec si coniungantur cum mortali personali, ut latè probavimus loco citato. Deinde, dato per impossibile, quòd solum punirentur pœna temporali, est contra Concil. Trident. & contra receptum in Ecclesia universalis, scilicet quòd nullus eat in purgatorio, nisi tantum ij qui decedunt in gratia. Trident. enim docet sess. 6. can. 30. alijque in locis, purgatorium solum esse locum destinatum pro prædestinatis, qui non plenè satisfecerunt in hac vita pro peccatis mortalibus remissis, vel pro venialibus sive remissis, sive non remissis. Item universalis Ecclesia monet fideles, ut orent pro omnibus, qui sunt in purgatorio, tanquam pro amicis Dei; cum tamen non oret pro eis, qui decedunt cum ori-

gina-

ginali sive coniuncto, sive non coniuncto cum venialibus.

115 Ultimò potest responderi, ad divinam providentiam attingere alium distinctum ab enumeratis destinare pro decedentibus cum peccato veniali, simul & originali. Sicut data hypothesei metaphysicæ coëxistentis peccati venialis cum solo originali, quam possibilem asserunt NN. Salmant. in præf. disp. 20. num. 70. eò quòd potest Deus puero pervenienti ad usum rationis abscondere præceptum à Thomistis propugnatum, vel illum in tali præcepto ad horam, vel diem dispensare; tunc Deus, attentata potentia absoluta, post se disponere locum aptum ad punitionem vtriusque peccati.

Contra est. Nam in præfenti providentia non datur locus destinatus (iuxta dicta) ad puniendum hominem cum peccato veniali, & solo originali decedentem: ergo signum est, quòd in hac vita non datur iuxta præsentem providentiam status conjunctionis peccati venialis cum solo originali. Quidquid sit de providentia extraordinaria quoad prædictam conjunctionem, & locum ab ea destinandum. Cuius possibilitatem admittimus propter auctoritatem tantorum PP. Et quia ex nullo capite videtur repugnare, quòd prædicti Patres docent, vel circa non intimationem præcepti, vel circa eius dispensationem.

§. III.

Secunda ratio D. Thom. & à priori.

116 **S**ecundò probatur ratione à priori, qua vtitur D. Thom. loco citato in corp. art. Et potest reduci ad hanc formam: nam puer, cum primò pervenit ad usum rationis, sub mortali tenetur, secundum quòd in illa ætate est capax, convertere se efficaciter, & super omnia in Deum vltimum finem: ergo peccatum, quod homo primò committit, nequit esse veniale. Patet consequentia: nam si in eo instanti peccat, primum eius peccatum est transgressio prædicti præcepti ex se gravis, cum sit præceptum charitatis erga se, & Deum vltimum finem. Antecedens, in quo offendunt adversarij, multipliciter probatur.

Primò: nam datur præceptum naturale diligendi Deum super omnia, & nos convertendi in illum, iuxta illud Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, quod cum sit affirmativum, non obligat nisi pro determinato tempore; sed nullum aptus potest assignari, quàm primum instans usus rationis: ergo puer primò perveniens ad usum rationis sub mortali tenetur ad convertendum se efficaciter, & super omnia ad Deum vltimum finem. Minor huius syllogismi probatur. Tum quia hoc præceptum est primum inter omnia præcepta.

Iuxta illud Matth. 22. *hoc est maximum, & primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum &c.* sed maximum & primum mandatum ex suapte natura postulat, ut obliget in primo tempore, in quo potest impleri: ergo nullum tempus aptius potest assignari ad sui obligationem, quàm primum instans usus rationis. Tum etiam: nam in primo instanti tenetur homo vitare peccatum omne: ergo tenetur etiam sibi præfigere certam regulam & finem, in quem dirigat omnes suos actus morales; sed Deus est prima regula & finis omnium finium: ergo idem quod prius. Pro qua probatione videatur Div. Thom. quest. 28. de Verit. art. 3. ad 4. Tum denique (per quod præcedens probatio magis explicatur) Nam primum, quod occurrit homini cogitandum, dum venit ad usum rationis, est ipse homo, ut deliberet de seipso, quid tenendum, & quid faciendum pro acquisitione suæ salutis (inquit D. Thomas in præf.) sed ad hoc est necessarium ordinare se in Deum, vtpotè potissimum medium ad consequendam salutem: ergo.

Secundò probatur idem antecessens. Angelus in primo instanti suæ plenæ libertatis tenebatur sub mortali convertere se in Deum vltimum finem, & illum efficaciter diligere, ut supponimus: ergo etiam homo simili præcepto tenetur, dum pervenit primò ad usum rationis. Patet consequentia: nam eadem ratio pro vtroque militat, nempe quod omnis creatura rationalis, cum primum potest, suo auctori se submittat, & primitias suæ voluntatis illi consecret. Sicut olim in lege Moysis præcipiebat Deus, ut sibi offerrentur omnia primogenita animalium, & fructuum terræ.

Accedunt plura testimonia sacre scripturæ, quæ extant pro obligatione huius præcepti in primo instanti usus rationis, & nullum adeo apertum est pro alijs temporibus. Ita se habet illud Matth. 6. *Querite primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Quæ verba refert D. Thom. quest. 7. de Malo art. 10. ad 9. ad illius obligationem. Non minus vrgens est testimonium illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum: hoc est maximum, & primum mandatum.* Quæ testimonia, & alia similia, licet ad alios sensus trahantur ab adversarijs, debent etiam accipi secundum sensum à nobis intentum: ad quod sufficit auctoritas D. Thom. affirmantis contineri in eis prædictam obligationem; cum aliàs in eodem loco contineri valeant plures sensus litterales intenti à Spiritu sancto.

117 Respondent communiter adversarij, quòd licet homini primum occurrat de seipso cogitare, & deliberare; non tamen tenetur statim ad conversionem in Deum, nec ad procuranda media salutis: sed, cum sit circa rem maximi momenti, debet eius obligatio differri ad aliud tempus opportunius, in quo

de.

detur plenior instructio de Deo, & interim potest esse circa aliam materiam venialiter peccare.

Sed hæc solutio nostro iudicio evidenter retorquetur in illius Authores. Siquidem per vos, supposita sufficienti instructione de Deo, tenetur homo se convertere efficaciter in ipsum: ergo si in primo instanti datur in puero sufficiens instructio & cognitio de Deo sive ut auctore naturali, sive supernaturali, tenetur in illo ad prædictam conversionem efficacem; & si non datur sufficiens cognitio de Deo, & datur de bono honesto in communi, tenetur ad positive profectum & amplectendum tale bonum, in cuius prosecutione implicite continetur amor Dei super omnia: sed hoc & non amplius intendit nostra, & D. Thom. conclusio, & propterea addit hæc verba, *secundum quod in illa ætate est capax*: ergo in primo instanti usus rationis tenetur homo se convertere efficaciter in Deum ultimum finem, in suppositione quod habeat sufficientem cognitionem Dei.

Quod autem detur sufficiens instructio seu cognitio de bono honesto in communi in puero, dum primum pervenit ad usum rationis, probatur: Nam cum homo pervenit ad usum rationis, intransitive producit synderesim; qui est habitus primorum principiorum practico-rum, cuius munus est discernere inter bonum, & malum morale; sicut producit habitus primorum principiorum speculabilium, ita ut si nullus ex istis produceretur, non intelligeretur puer pervenisse ad usum rationis physice, vel moraliter: ergo vel non datur in illo usus rationis; vel datur sufficiens instructio & cognitio de bono honesto. ¶ Deinde, quod detur sufficiens intimatio prædictæ obligationis, seu præcepti, constat ex eo, quod hoc præceptum nihil aliud est, quam ipsum naturale lumen practicum rationis, seu synderesis dictans bonum honestum esse sequendum, & præferendum utili, & delectabili, & signatum in mentibus nostris, iuxta illud psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. De quo, seu de qua lege inquit D. Ambros. lib. 5. de Parad. cap. 14. *Non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua lectione percipitur, sed profuso quodam nature fonte in singulis exprimitur*; sed quilibet tenetur legem acceptare, cum primum illi intimatur, & illam implere in tempore, quo obligat, nec sufficit illi non contradicere, ut quidam neothericus inquit: ergo ex nullo capite puer perveniens ad usum rationis exemptus manet ab obligatione prædicti præcepti.

118 Nec satis est dicere, quod tale præceptum conversionis explicitæ, vel implicitæ in Deum non obligat persè, sed per accidens, videlicet ratione periculi incidendi in peccatum, proindeque tale præceptum solum obligat persè ad non peccandum.

Non, inquam, satis est hoc: Tum quia lumen synderesis non solum dictat persè fugere malum, sed etiam profectum bonum, quinimodò persè primò prosecutionem boni honesti, & secundariò fugam mali, iuxta illud D. Thom. supra quasi. 25. art. 2. *Quia bonum queritur, ideo rejeratur oppositum malum*; sed non est ratio, cur prædictum dictamen sit præceptivum quoad fugam à malo, & non sit persè præceptivum quoad prosecutionem bonitatis: ergo non solum per accidens, sed etiam persè obligat puerum ad profectum bonum honestum.

Tum etiam: Nam homo in illo primo instanti ingreditur in viam salutis æternæ, sicut in viam vitæ rationalis: ergo persè obligat non solum ad fugiendum malum morale, sed etiam ad profectum media positiva ad consequentem salutem, qualia sunt opera virtutum. Patet consequentia: nam fuga mali non est sufficiens medium ad consequentem salutem.

Tum denique: Nam tunc aliquis actus cadit sub præcepto per accidens, seu ratione vitandi aliquid malum, quando malum non potest vitari, nisi ratione alicuius occasionis occurrentis accidentaliter talis actus adhibeatur; sicut cum quis obligatur ad fundandum oratorium, quia cernitur in magno periculo violandi castitatem propter tentationem illi accidentaliter provenientem: tunc verò cadit sub præcepto persè, etiam si sit ob periculum delinquendi, quando regulariter, & attentis naturis rerum non potest vitari malum, nisi adhibeatur actus oppositus bonus; sed præceptum obligans in primo instanti ad conversionem explicitam in Deum, seu ad implicitam in prosecutione boni honesti est huiusmodi: siquidem suprà natura manet in periculo se avertendi à regula rationis, & divagandi ad bona delectabilia independentem à quacunque tentatione, vel occasione accidentaliter occurrenti, nisi sibi præstituat certum finem & regulam intra lineam boni honesti: sicut nauclerus exponeret se periculo submerisionis, nisi in principio navigationis præfigeret sibi certum finem, quo navem dirigeret: ergo præceptum convertendi se in bonum honestum obligat non minus persè, ac præceptum vitandi malum morale.

§. II.

Fundamenta oppositæ sententiæ.

119 Arguitur primò: Nam propterea peccatum, quod homo primò committit, non potest esse veniale, quia obligatur sub mortali ad convertendum se ad Deum ultimum finem; sed falsum est dari tale præceptum pro primo instanti usus rationis: ergo primum peccatum, quod homo committit,

po-

potest esse veniale. Minor probatur primò: nam illud præceptum nullum fundamentum habet in Scriptura, & SS. PP. sed voluntarie est excogitatum à D. Thom. *Secundò*: Nam illud præceptum est nimis onerosum & durum pro illa tam tenera ætate: ergo non est credendum dari tale præceptum pro eo instanti. *Tertiò*: Quia plures viri docti, & timorata conscientie non curant, an impleverint tale præceptum, ut de eius omissione se acculent. *Quartò*: Sequitur ex positione illius, quod pueri baptizati in illo instanti amittant gratiam, cum nulli, vel pauci sint, qui tunc illud adimpleant. *Quintò*: Nam dato, quod tale præceptum existeret ferè omnes laborarent ignorantia invincibili, sicut defacto Authores oppositæ opinionis alii viri docti illud invincibiliter, ignorant: ergo vel non datur tale præceptum, vel ratione ignorantie omnes ab eius obligatione manent excusati. ¶ Adde: Quia si adesset tale præceptum, & quis illud non adimpleverit, tenetur adhuc transacto primo instanti usus rationis ad eius adimplectionem, ac proinde actu esset peccans, visquod illud adimpleat, sicut qui non restituit, cum ad id est obligatus; hoc videtur nimis durum: ergo.

Respondetur negando minorem. Cuius nulla probatio premit. *Non prima*: Nam hoc præceptum satis deducitur ex illo testimonio, *Diliget Dominum Deum tuum &c. hoc est maximum, & primum mandatum*, & ex alijs pro nostra ratione enumeratis. Ad quæ accedit expositio D. Thomæ illud determinantis ad primum instanti, quæ præferri debet expositioni aliorum Theologorum, & Casuistarum alia tempora pro illo determinantium. *Nec secunda*: Siquidem puer solum tenetur se convertere in Deum eo modo, quo potest, ut inquit D. Thom. & secundum noticiam, quæ ei communicatur, & ita nullatenus est ei nimis onerosum. *Nec tertia*: Quia satis est, quod sequantur sententiam Probabilem, vel non curent de eius adimplectione. Adde, sanum consilium esse, ut quis de ea confiteatur sub dubio. *Nec quarta*: Nam plures sunt pueri inter fideles nutriti, & baptizati, ac bonis moribus educati, de quibus pie credendum est adimplere tale præceptum, ut de Ioanne Baptista, de S. Matre N. Teresia, & alijs innumeris: ad quod parum refert, quod in ætate magis adulta non recordentur de eius adimplectione. ¶ Ad additamentum respondetur, vel negando sequelam: quia præceptum hoc est affirmativum, non obligans pro semper, sed pro tempore determinato, quo transacto cessat obligatio, ut contingit in alijs præceptis, & in eodem iuxta positionem adversariorum. Vel illam concedendo persè loquendo, per accidens tamen non obligat ob invincibilem ignorantiam, & oblivionem, quam ferè omnes transacto illo tempore incurunt.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

120 Arguitur secundo, & simul evertitur præceptum. Nam si daretur tale præceptum, conversio deberet fieri vel ad Deum finem supernaturalem, vel ad Deum finem naturalem, explicite, vel implicite per conversionem dumtaxat ad bonum honestum in communi. Quod tamen non est verum: nam imprimis non obligat ad conversionem in Deum finem supernaturalem: quia in pluribus datur ignorantia invincibilis; & ferè in omnibus est necessaria prævia instructio aliorum, quæ, quia tempus requirit, potest intra illud puer interim peccare venialiter. Nec ad conversionem naturalem: quia non valet puer in ea ætate pervenire proprio discursu in distinctam noticiam finis naturalis, licet valeat in noticiam aliquam confusam sufficientem ad peccandum contra ultimum finem. Nec ad conversionem in prædictum finem naturalem, ut implicite in conversione ad bonum honestum in communi: quia non est necesse, ut puer positivo actu se convertat ad prædictum bonum proponendo se honestè victurum, sed fat erit, si fervet præcepta quo suo tempore servanda occurrunt: sicut cum primò aliqua lex fertur, certo tempore servanda, non tenemur elicere propositum de illa servanda, sed sufficit illam suo tempore servare.

Et confirmatur. Nam hæc conversio ad Deum finem naturalem explicite, vel implicite cognitum non sufficit ad iustificacionem peccatoris à peccato originali, propter quam asseritur à D. Thom. & à nobis talis conversio: quia nullus actus naturalis est dispositio adhuc remota ad gratiam: ergo non adest obligatio gravis ad talem conversionem.

Ad hoc argumentum, quod tangit gravio-rem difficultatem in hac controversia, Respondetur, quod puer in primo instanti usus rationis persè loquendo tenetur ad conversionem in Deum finem supernaturalem super omnia, prævia tamen sufficienti cognitione per fidem de eo, quod *Deus est*, & quod *remunerator est*, ut inquit Apost. In quam cognitionem satis potest prorumpere ipse habitus fidei absque instructione prævia aliorum. ¶ Si verò insit sententia contraria, quod non potest prorumpere in prædictam cognitionem nisi prævia instructione aliorum. Dicemus, quod laborat ignorantia invincibili de Deo auctore supernaturali, & ratione illius non tenetur ad prædictam conversionem supernaturalem: sed loco illius ad conversionem naturalem tenetur. Idem dicimus de conversione ad Deum finem naturalem, si non adest cognitio sufficiens de eo in eo instanti. Tenetur tamen ad propositum, seu amorem efficacem, & super omnia boni honesti in communi. De quo nequit adhuc in illa ætate dari ignorantia invincibilis: cum per lumen synderesis illi sufficienter manifestetur cum ipsa obligatione vivendi secundum rationem. In hoc autem amore inclu-

V.

dum

duntur duo: primum est amor implicitus seu virtualis Dei finis naturalis, cum in ipso Deo præcipua ratio boni honesti invenitur: unde impossibile est, hoc bonum explicite, & efficaciter amari, quin Deus implicite & virtualiter diligatur. Secundum est, quod huiusmodi amor nequit compati cum peccato originali seu mortali: quia ætiam propositum efficac servandi totam legem, certam præceptum diligendi Deum explicite (quod primas tenet inter alia) dum primò innotuerit, ad cuius observantiam requiritur gratia habitualis, saltem vt removens prohibens, sicut ad amorem efficacem Dei finis naturalis, vt seq. tract. dicemus.

Iuxta quam doctrinam ad probationem argumenti, qua intendit convellere in illo instanti obligationem ad amorem efficacem boni honesti: Respondetur negando assumptum, quia reverà homo tenetur non solum ad servanda præcepta, quæ suo tempore servanda occurrunt, sed etiam ad eliciendum in illo instanti propositum efficac vivendi in omnibus secundum rationem, propter rationem traditam pro nostra asserctione. Paritas ibi adducta potius est pro nobis, quam contra nos. Nam licet non tenemur elicere propositum efficac servandi aliquam legem, dum nobis notificatur servanda pro alio certo tempore, tenemur tamen in tempore, quo obligat, elicere tale propositum, quod in sui impletione imbibitur. Tempus verò, quo obligat puerum ad eliciendum propositum efficac servandi totam legem, non est præcisè illud, in quo quilibet lex determinata occurrit, sed etiam ipsum primum instans rationis, & propterea tunc eliciendum est.

121 Ad confirmationem respondetur primò permitiendo antecedens; & negando consequentiam. Sed falluntur adversarij existimantes prædictum præceptum poni à D. Thoma, & eius discipulis præcisè, vt puer iustificetur. Independentem enim ab eo, quòd iustificetur, vel non, defendunt obligationem & præceptum ad conversionem, hincque inferunt per consequentias mediatas, puerum illum, si convertatur eo modo quo tale præceptum obligat, iustificari. Et propterea addunt, veniale peccatum non posse compati cum solo originali, itaut si non illud adimpleat, peccet mortaliter, & si illud adimplet, iustificetur, & mundetur ab originali. Oportet tamen vim huius illationis explicare, vt ex omni capite doctrina D. Thom. appareat.

Respondetur secundò: quòd licet conversio, ad quam puer in illo instanti obligatur in suppositione ignorantie invincibilis de Deo sine supernaturali, non sit ex se sufficiens dispositio ad gratiam; hoc non obstante iustificatur, si præceptum adimpleat. Ratio est: quia nequit compati prædicta conversio cum peccato mortali sive personali, sive originali. Aliàs esset aver-

sus à Deo sine supernaturali, & conversus ad ipsum vt finem ultimum naturalem, quod repugnat. Et hac ratione necessaria est gratia per modum removens prohibens: quæ, quibus datur, misericorditer datur; & quibus non datur, est in penam originalis peccati: vel quia collatio illius est omnino gratuita, & Deus absque vilo demerito potest illam conferre, aut negare, quibus voluerit. Sed contra hanc solutionem insurgunt plures, & gravissimæ replicæ, quas proponemus, & enodabimus in tract. sequenti.

§. V.

Aliud argumentum.

122 **A**rguitur tertio. Nam ex eo quòd datur pro illo instanti præceptum ad conversionem efficacem in Deum finem naturalem, non sequitur, quòd primum peccatum debeat esse mortale: ergo potest puer in illo primo instanti peccare venialiter, priusquam peccet mortaliter. Antecedens probatur: nam potest puer in illo primo instanti dicere mendacium, sicut potest elicere aliquod opus virtutis, nempe aliquem actum misericordiae: ergo ex eo, quòd datur tale præceptum pro illo instanti, non sequitur, quòd primum peccatum sit mortale.

Augetur difficultas. Nam illud instans, in quo obligat præceptum convertendi se in Deum, non debet esse metaphysicum, & omnino indivisibile, vt nos prænotavimus, sed morale & concernens aliquod tempus: ergo factis erit adimpletionem huius præcepti, si in termino illius instantis moralis adimpleatur. Iam sic; sed in illa duratione intermedia potest dicere mendacium, quòd non excedit limites peccati venialis: ergo. *Addo*: Quia adimpletio potest differri pro aliqua brevissima morula, quia parum pro nihilo reputatur: ergo ita poterit peccare venialiter, vt simul illa brevissima morula non reputetur peccatum mortale in æstimatione moralis.

Confirmatur. Nam usus rationis perfectus non solvitur subito, sed successivè & paulatim, priusque pervenit ad usum rationis imperfectum & semiplenum, quam ad plenum & perfectum, vt contingit in dormiente, vel ebriò; sed tunc potest peccare venialiter, & non mortaliter: quia ad peccatum veniale sufficit semiplena libertas, & ad peccatum mortale non nisi plena: ergo in illo instanti morali potest puer peccare venialiter.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd illud mendacium, licet persè non excedat limites peccati venialis, per accidens tamen esset peccatum mortale: quia esset causa, vel occasio

sio

sio omissionis actus, quo adimpleri debebat præceptum grave. Idemque dicendum esset de alio quocumque opere secundum se honesto: sicut qui tempore auditionis Sacri, in quo obligat eius præceptum, se traderet ludo, vel recitationi, peccaret mortaliter.

Ad augmentum difficultatis, dicimus, quòd licet illud instans non sit metaphysicum, debet tamen puer vt toto illo tempore ad discernendum inter bonum, & malum, & ad deliberandum de seipso in ordine ad bonum: Ideoque, si non deliberat, quando primum potest, in hoc ipso peccat mortaliter: quia se retardat voluntariè ab adimpletione huius præcepti. ¶ Ne refert, quòd potest dari aliqua inadvertentia. Nam author natura, & ipsa natura medio synderesi offert primò vt cogitandam deliberationem de seipso in ordine ad Deum, & bonum honestum, ipsaque taliter reclamant pro prædicta deliberatione, quòd non nisi ex industria possit ab huiusmodi cognitione diverti: quare si aliqua diversio sit, non ex semiplena advertentia peccaret tantum venialiter, sed peccaret mortaliter tanquam habita ex anima.

Ad id quòd additur, Respondetur, quòd, completo primo instanti usus rationis, non potest pro brevissima morula eius adimpletio differri, quin imputetur ad mortale: quia hoc præceptum est omnino determinatum ad primum instans usus rationis: sicut quando vrget gravis tentatio v. g. circa fidem, obligat persè loquendo præceptum actus fidei pro illo tempore determinato, quo durat tentatio, itaut non possit differri pro minima morula post transactam tentationem.

123 Ad confirmationem respondetur concedendo, quòd semiebrii, & semidormientes peccant venialiter per motus semiplenos; negando tamen, quòd puer in primo instanti possit per huiusmodi motus peccare venialiter. Et ratio discriminis est: quia motus illorum pertinent iam ad lineam moralem, motus verò pueri solum pertinent ad lineam physicam. ¶ Pro quo nota, actum non esse moralem ex eo præcisè, quòd sit liber: siquidem iuxta probabilem sententiam actus indifferens est liber, & non est moralis, & in nostra sententia huiusmodi actus per accidens est possibilis. Unde vitra libertatem requiritur ad moralitatem, quòd homo conferat suum actum cum regula moralitatis, vt sic percipiat convenientiam, aut inconvenientiam cum illa. Et quia nullus potest hoc percipere, nisi aliquando certificatus fuerit de prædicta regula, sicut nullus potest cognoscere, an aliqua imago representet Cæsarem, aut ab illo discordet, nisi certificatus fuerit aliquando de forma illius; ideo quando homo non habet regulam moralitatis sibi manifestatam, & cognitam, nec de ea est certificatus, nequit adhuc imperfectè obiectum vt morale attingere: quia

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

nequit adhuc imperfectè percipere, an actus sit conformis, aut difformis prædictæ regulæ.

Deinde nota, quòd vt homo cognoscat regulam moralitatis, necessaria est plena advertentia, seu iudicium plenum & perfectum. Tum quia per cognitionem semiplenam nequit intellectus certificari de obiecto à se cognito, neque potest illud conferre cum tali regula, aut sit illi conforme, aut difforme. Tum, & præcipue: quia prima cognitio prædictæ regulæ nequit aliunde provenire nisi à Deo per lumen synderesis, cuius actus nequit esse cum semiplena tantum advertentia: cum virtus moralis, sicut & intellectus naturalis nequeat elicere nisi actus perfectos, vt colligitur ex definitione virtutis, quæ est *dispositio ad optimum*. Ex quo colligitur, quòd, vique dum homo habeat iudicium synderesis, quòd petit advertentiam plenam, nondum ingressus est vilo modo in lineam moralem, ideoque omnes eius motus, etiamsi sint semiplenè liberi, remanent intra lineam physicam.

Ex his iam constat nota disparitas inter motus semiplenos semiebrii, & semidormientis, & similes motus pueri primò pervenientis ad usum rationis. Nam illi iam ingressi erant in lineam moralem, quia aliquando certificati sunt de regula moralitatis, & de bono honesto per iudicium synderesis: ideoque in vi prædicti iudicii præcedentis, occurrente aliquo obiecto dissono, possunt aliquo modo percipere eius difformitatem cum prædicta regula, quam in memoria retinent. Cæterum pueri ante perfectum usum rationis nequeunt adhuc imperfectè percipere conformitatem, aut difformitatem cum prædicta regula, nec ipsam regulam, cum nullibi regulam moralitatis didicerint, nec rationem boni honesti cognoverint, vt ex se liquet: & propterea motus semipleni illorum non sunt boni, aut mali moraliter.

124 Sed obijcies primò. Nam licet cognitio perfecta huius regulæ perfectam advertentiam exposcat, cognitio tamen incerta & dubia potest haberi cum semiplena advertentia. Quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, ita secundum quòd ad secundum quid. ¶ *Secundo*. Nam pueri sufficienter cognoscunt rationem boni physici, vt in obiectis percipiunt conformitatem, aut difformitatem eam tali bono, antequam deliberent: ergo idem dici debet circa bonum morale.

Ad primam obiectionem, respondetur negando assumptum. Quia quilibet notitia dubia debet supponere noticiam certam. V. g. quis dubitat, an Petrus sit sapiens, vel ignarus? Debet supponere in se noticiam certam de sapientia. Similiter quis dubitat, an teneatur hac, vel illa lege? prius debet certò cognoscere se habere superiorem, à quo oriatur lex: si enim de hoc dubitaret, non obligaret illi lex dubia, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Unde

V2

nisi

nisi quis sit certus de hoc principio, bonum est faciendum, & malum est fugiendum, quod est prima regula moralitatis, nullo modo tenetur ad legem respiciendi, quod illi bono dissonat, aut prosequendi, quod consonat.

Ad secundam respondetur, concessio antecedentis; negando consequentiam. Cuius discriminis ratio sita est in eo, quod circa bonum physicum certificatur puer naturaliter per ea, quæ sensibus percipit, quia solum importat conformitatem, aut difformitatem cum ipsa natura physice sumpta, qua ratione etiam bruta cognoscunt tale bonum. At prima notitia boni honesti non sumitur a sensibus, sed à Deo per synderesim, sine cuius illustratione nequit homo percipere rationem talis boni: & cum synderesis non sit ad actum imperfectum, ob rationem nuper datam, inde est, quod non habet illam cognitionem requisitam ad venialiter peccandum, & puer ille habendus est in illo statu, quasi nullo modo ingressus sit in lineam moralem.

DUBIUM II. Appendix.

An homo in statu iustitie originalis potuerit peccare venialiter?

HOC dubium desiderari videtur pro corone huius disputationis vltima, ideoque per modum appendix illud ad examen vocamus. ¶ Pro cuius luce, aliqua animadversio digna sunt. Et ante omnia recolenda est illa diviso sæpius repetita in hoc tract. peccati venialis in peccatum veniale ex genere, seu ex obiecto, vt simplex mendacium, & in peccatum veniale ex parvitate materia, vt furtum vnius assis, & tandem in peccatum veniale ex imperfecta deliberatione, vt motus sensualitatis, qui præcedunt omnimodam deliberationem. Et de his omnibus procedit dubium, licet præcipue versetur de peccato veniali ex propria materia, & parvitate illius, vt decursu controversiæ apparebit.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

125 **S**upponendum est primò, hominem non posse peccare venialiter in statu iustitie originalis non provenire ex eo, quod quodlibet peccatum, quod in illo committeret, esset mortale, quamvis aliàs esset ex se tantum veniale, quia si illud committeret, revera esset veniale. Ita communiter Theologi cum Ang. Præcept. in præf. quæst. 89. art. 3. in corp. vbi ait: *Hoc etiam non est intelligendum, quasi id, quod nobis est veniale, si ipse committeret, esset sibi mortale propter alii-*

tudinem sui status. Et probatur eius ratio: nam status aut dignitas personæ, nisi interveniat aliunde aliqua ratio specialis, ex voto v. g. solum est circumstantia aggravans, quæ non facit, vt id, quod ex se est tantum veniale, sit mortale; atqui in illo statu non est ratio aliqua specialis præter dignitatem personæ sui status, vt ex se liquet: ergo ratione status non esset peccatum mortale. ¶ Nec refert, si dicas, quod omne peccatum procederet in illo statu ex contemptu; cum non committeretur ex infirmitate, aut ignorantia. Non, inquam, refert. Quia ex hoc tantum debet inferri, quod procederet ex malitia; sed ex hoc non sequitur, quod peccatum ex se veniale sit mortale, aliàs mendacium iocofum scienter dictum nunc esset peccatum mortale: ergo. ¶ Adde: Nam aliud est, peccatum veniale committi scienter, seu ex malitia, & aliud ex contemptu importante peculiarem speciem contra obedientiam, sed potius stat primum absque secundo, vt contingit in nobis: ergo ex eo, quod peccatum veniale in illo statu non procederet ex infirmitate, aut ignorantia, non sequitur, quod procederet ex contemptu, nec ex hoc capite esset mortale.

126 **S**upponendum est secundo, quod peccatum veniale, si in illo statu committeretur, absolute loquendo non destrueret statum: proindeque, dum D. Thom. docet, hominem in prædicto statu non potuisse primò peccare venialiter, non est sensus, quod peccatum illud destrueret statum. Ita contra Durandum communiter Theologi cum D. Thom. loco nuper citato in argument. *Sed contra*, vbi supponit, quod peccatum veniale cõxisteret cum illo statu, si per possibile, vel impossibile committeretur. Idem expressius docet ad 3. vbi ponit discrimen inter mortale, & veniale, consistens in eo, quod mortale destrueret statum, secus verò veniale. Et ratio est: nam amissio illius status cum tot arumnis, & malis inde consequitur non est pœna proportionata culpæ levi, quæ non refertur ad amicitiam Dei: ergo non destrueret statum.

Confirmatur primò: Nam mors est pœna consequens infallibiliter amissionem status, vt alibi diximus; sed homo in illo statu peccans venialiter non incurrisset pœnam mortis, cum solum constet ex sacra scriptura, hanc fuisse à Deo taxatam pro usu ligni vitæ, quatenus prohibebatur primis parentibus sub culpa mortali: ergo nec destrueret illum statum. ¶ Confirmatur secundo, & vrgentiùs. Nam perfectio illius status aut proveniebat ex gratia, aut fundabatur in ea, vt omnes aiunt; sed incredibile videtur, quod destrueret perfectio illius per peccatum, quod non opponitur cum gratia, vt est peccatum veniale: ergo idem quod priùs.

Dixi-

127 **D**iximus supra absolute loquendo: quia forsàn obijciat Durandus, quod status ille erat status innocentie; sed si Adam peccaret venialiter, amitteret innocentiam, quia hæc importat immunitatem ab omni peccato: ergo amitteret statum.

Propter hanc obiectionem diximus supra, quod peccatum veniale absolute loquendo non destrueret statum; cum quo recte coheret, quod illud destrueret secundum quid. Pro quo scito, quod status iustitie originalis non consistebat persè primò in ipsa innocentia, sed in gratia, habitibus, aliisque donis, & auxilijs, quibus conservaret homo innocentiam. Ipsa verò innocentia, quæ erat effectus prædictæ iustitie, consistit in indivisibili, & significat omnino immunitatem ab omni peccato. Unde quia Adamus, peccando venialiter, non amitteret vllam ex prædictis perfectionibus pertinentibus sive ad corpus, sive ad animam, sive ad potentias, propterea non amitteret statum absolute. At quia amitteret innocentiam, potest dici, quod amitteret illum statum secundum quid, hoc est, quoad aliquem effectum secundarium illius.

128 **S**upponendum est apud nos tertio, hominem in statu iustitie originalis non posse primò peccare venialiter saltem ab extrinseco. Ita communiter Theologi, adhuc adversarij numero proxime sequenti referendi. ¶ Pro quo nota, dupliciter posse hominem reddi impeccabilem: primò ab intrinseco, ratione alicuius intrinsecæ perfectionis, aut dispositionis, vt contingit in beatis: secundo ab extrinseco, ratione alicuius providentiæ specialis Dei præservantis à peccato media protectione, à periculis de foris imminentibus. Suppositio debet intelligi in hoc posteriori sensu: Et satis probata manebit ex rationibus §. sequenti perpendendis, quæ saltem suadent hanc impeccabilitatem extrinsecam in ordine ad peccata venialia. ¶ Et si inquiras, cur Deus non applicuit homini hanc specialem providentiam, ne in illo statu peccaret mortaliter; & illam applicuit, ne peccaret venialiter? Respondetur, quod status ille ex natura sua non erat inamissibilis, vt ipsa experientia nos docuit: ideoque ille status non postulabat providentiam Dei specialem præservantem à peccato mortali, vt sic respiceret omnimoda hominis libertas, & innata eius defectibilitas. At summa perfectio illius status exigebat, vt in eo non esset in sensu composito aliqua culpa, vel pœna, & ob id dicebat etiam exigentiam ad hoc, vt providentia divina præservaret hominem ab illis peccatis, quibus non amitteret statum ille, qualia sunt venialia. Quibus præsuppositis, totus cardio huius controversiæ stat in eo, An homo in statu iustitie originalis potest elicere aliquid opus, quod ex omni capite esset tantum veniale, essetque compossibile cum statu prædicto; vel potius reddebatur ab intrinseco impeccabilis

venialiter, ratione alicuius dispositionis intrinsecæ provenientis ab aliquo dono sibi inherente?

129 **C**irca quam difficultatem duplex versatur sententia. Prima affirmat, hominem in statu innocentie potuisse absolute peccare venialiter. Ita Guillelm. Altiisod. lib. 2. Sum. tract. 10. cap. 3. & 4. Scotus in 2. dist. 21. quæst. 1. Gab. ibidem art. 3. dub. 1. Almai. tract. 3. Moral. cap. 21. & 22. Suarez in hoc tract. disp. 2. sect. 7. Amicus ibidem disp. 23. sect. 8. asserens esse communem Scholasticorum extra Scholam D. Thom.

Secunda docet, non potuisse peccare venialiter non solum ratione protectionis extrinsecæ, sed etiam ratione alicuius intrinseci doni, idest ratione iustitie originalis. Ita D. Thom. in hac 1. 2. q. 89. art. 3. asserens fuisse hanc opinionem communem Theologorum. Angelicum Magist. sequuntur omnes eius discipuli, qui hoc dubium pertractant, à quibus recedit Zumel negans ei impeccabilitatem ab intrinseco, vt videri potest ad præcitatum articulum proposit. 3. Inter discipulos D. Thom. qui hanc sententiam defendunt, merito commemorandi sunt NN. Salm. in Comment. prædicti art.

§. II.

Sententia D. Thom. eiusque fundamenta.

130 **D**icendum est, hominem in statu innocentie carere potentia innocentie ad peccandum venialiter. Et probatur primò ratione à posteriori deducta ex D. Thom. in argum. *Sed contra*: Nam si peccatum veniale potuisset esse cum statu illo innocencie, iam aliquid pœnale potuisset esse in illo statu; sed repugnat, quod homo in illo statu pateretur aliquam pœnam, vel quod haberet condignitatem ad illam: ergo repugnat, quod in illo statu primò peccaret venialiter. Maior est certa: siquidem reatus pœna tam damni, quam sensus est proprietas cuiusvis peccati actualis, minorque miseria seu minus malum, quam culpa. Minor verò suadetur: tam à D. Thom. ex D. Aug. 14. de Civit. cap. 10. vbi illum statum vocat felicem, & beatum his verbis: *Neque aberat quidquam, quod voluntas bona adipsiceretur; neque inerat, quod carnis, animamque hominis feliciter vivens offenderet.* Tum etiam: nam status ille erat omnimoda perfectionis, iucunditatis, & felicitatis, vt sæpius prædicant SS. PP. ergo repugnat cum illo aliqua pœna.

Respondet primò Scotus, quod reatus ille solum esset ad quandam displicentiam de illo peccato, quæ compatibilis est cum illo statu. ¶ *Contra est.* Tum quia quælibet displicentia pugnabat cum illo statu, sicut & tristitia, vt

ex

ex verbis D. Aug. aperte colligitur: ergo nec habere potest reatum ad prædictam displicentiam. ¶ *Tum etiam.* Nam illa culpa excederet in gravitate propter circumstantiam status simile peccatum commissum à nobis pro hoc statu; sed culpa venialis in nobis inducit reatum, non solum ad displicentiam de eo, sed etiam ad penam sensus: ergo etiam in illo statu. ¶ *Tum denique.* Quia displicentia solum datur ad extinguendum debitum peccati ad penam: ergo si manet reatus ad displicentiam, etiam ad penam. *Roboratur hoc:* Nam demus, quod ante displicentiam homo ille transferretur ad aliam vitam; tunc non esset transferendus immediate ad gloriam, iuxta illud Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in ea:* ergo privatio illius haberet rationem penæ: ergo etiam corresponderet ei aliqua pena sensus. Patet consequentia: quia eadem, & fortè maior est de hac, ac de illa.

132 Respondet secundò, quod solum incurreret debitum ad ferventiorum actum charitatis. ¶ *Contra est.* Tum quia in peccato est reatus culpæ, & reatus penæ: atqui culpa tollitur sæpè per fervorem charitatis, manente reatu ad penam: ergo debitum non est tantum ad fervorem charitatis, sed etiam ad aliquam penam. ¶ *Tum etiam.* Nam fervor charitatis intantum remittit culpam, & etiam aliquando penam, inquantum est virtualis displicentia de illo, & adequata satisfactio pro eo; sed displicentia pugnat cum illo statu: ergo etiam fervor charitatis, prout est debita pro peccato.

133 Respondet tertio concedendo, quod ex illa culpa resultaret debitum ad aliquam penam sensus. In quo tamen (ait) nullum datur inconveniens: cum nihil adversum reperitur in Scriptura sacra. ¶ *Contra est primò.* Nam hoc est contra SS. PP. & sensum communem DD. necnon contra perfectionem illius status. ¶ *Secundò.* Nam illa culpa non puniretur in hac vita, quia nihil pœnale potuit esse cum illo statu, vt aiebat Augustinus, nec in alia, quia non esset in alia hypothesi purgatorium, vt tenet communis DD. opinio: ergo non resultaret debitum ad penam corporalem.

134 Probatur secundò à posteriori: Nam si homo in illo statu posset peccare venialiter, posset generari aliquis habitus vitiosus, nempe ex repetitis actibus mendacij habitus mentendi; sed hoc repugnat: ergo non posset in illo statu peccare venialiter. Maior videtur certa: quia non est ratio, cur in nobis ex iteratis actibus generetur habitus, & non in illo statu. Minor verò probatur: nam omnis habitus vitiosus inclinatur ad malum, infertque difficultatem in evitacione mali, & prosecutione boni; sed hoc pugnat cum felicitate illius status: ergo etiam repugnat habitus vitiosus.

135 Respondet Scotus, quod iustitia originalis impediret generationem illius habitus. Vel, semel producto, impediret, ne prorumperet in suum actum, sicut defectò ligabat appetitum sensitivum, ne inclinaret in malum morale.

Sed hæc evasio eadem facilitate, qua dicitur, etiam dispellitur. Nam si iustitia originalis habet vim ad impediendam generationem habitus vitiosi, vel ad illum ligandum semel productum: ergo potiori titulo impediret actum, qui peioris conditionis est, quam habitus, & potiori titulo ligaret potentiam, ne exiret in actum pravum. *Roboratur:* Nam per vos, nisi speciali providentia, aut miraculo potentia nequit impediri, vt exeat in peccatum veniale: ergo idem foret dicendum de habitu vitioso quoad eius innatam inclinationem in actum malum, & de actibus repetitis quoad productionem habitus. ¶ *Adde.* Nam ille status non debet fundari in repetitis miraculis, & ita Deus non impediret actionem causarum naturalium, sed fundari debet in perfectionibus intrinsicis proprijs illius status; sed esset miraculum, quod actus repetiti non generent habitum, & quod habitus generitus non inclinet in suum proprium actum, si semel non est perfectio intrinseca ligans potentiam ad actum pravum: ex-go.

136 Probatur tertio ratione à priori, quam affert D. Thom. loco citato in corp. art. quæ reducitur ad hanc formam: Nam status ille innocentie consistebat in summa ordinatione corporis ad animam, potentiarum inferiorum ad rationem, rationis inferioris ad superiorem, & istius ad Deum, itaut, quandiu ratio superior contineretur sub Deo, non possent aliæ vires deordinari circa sua objecta connaturalia; sed peccatum veniale istarum affert secum deordinationem ad rationem superiorem: ergo stante ordinatione rationis superioris, non poterant vires inferiores peccare venialiter. Iam sic, sed omnis inordinatio illius status incipiens à parte superiori esset peccatum mortale, cum verteretur tanquam circa proprium objectum circa victimum finem in particulari, circa quem quilibet affectus ex genere suo est peccatum mortale: ergo nequit homo in illo statu primò peccare venialiter.

137 Respondet Scotus primò, non satis probari, quod prima deordinatio hominis deberet incipere à parte superiori; quod erat necesse, vt prædicta ratio efficaciter concluderet. Et dato, quod inciperet à parte superiori, poterat deordinari hæc per aliquem motum semideliberatum, v.g. infidelitatis, aut odij Dei.

Sed occasione huius evasionis prædicta ratio magis roboratur, & ipsa evasio refellitur quoad utramque partem. Nam proprius effectus formalis iustitiæ originalis est prædicta subiectio

& subordinatio partis interioris ad superiorem; sed eo ipso pars inferior nequit deordinari, attendente saltem connaturalitate rerum, priusquam ratio superior deordinetur: ergo deordinatio in illo statu nequit incipere à parte inferiori. Minor probatur: nam contra ordinem naturalem rerum est, quod, manente forma quoad effectum primarium, impediatur aut deficiat à suo effectu secundario; atqui effectus primarius iustitiæ originalis erat subiectio partis superioris ad Deum per gratiam à qua dimabant tanquam effectus secundarij seu passiones aliæ perfectio nes alijs potentijs inherentes, quibus subijcebantur parti superiori, sicut animæ corpus: ergo, attendente connaturalitate rerum illius status, pars inferior nequit deordinari, priusquam pars superior deordinetur: Quem discursum luculenter tradit D. Thom. in 2. dist. 21. quæst. 2. art. 3. his verbis: *Talis erat primi status constitutio, vt superior pars rationis Deo subijceretur, cui subijcerentur inferiores vires, quibus subijceretur corpus: ita quod prima subiectio esset causa secundæ, & sic deinceps: manente autem causa, maneret effectus.* Ex quibus inferet, nullam deordinationem posse cadere in vires inferioribus, manente primo effectu ordinationis partis superioris ad Deum. Per quod prima pars evasionis manet impugnata.

138 Quoad secundam etiam refellitur. Nam propterea in nobis motus aliquis partis superioris potest esse peccatum veniale ex imperfecta deliberatione, quia fit à voluntate subitò, priusquam ratio æterna aut Dei lex consulatur, aut consulti possit, vt tradit Div. Thom. supra quæst. 74. art. 10. sed hoc stare non potest cum perfectione illius status: ergo pars superior nequit deordinari per aliquem motum semi-deliberatum, v.g. infidelitatis. Minor probatur: tum quia ille modus operandi solum habet locum in natura imperfectè disposita, citique imperfectio nature. Tum etiam & præcipue: quia voluntas hominis in illo statu erat ornata non solum habitibus & donis gratiæ communibus, sed etiam alijs perfectionibus specialibus; sed ratione istarum fit, vt voluntas non posset elicere in illo statu opus aliquod semiplene deliberatum: ergo nequit stare aliquis motus deordinatus ex imperfecta deliberatione voluntatis. Minor probatur: nam non est ratio, cur appetitus sensitivus in illo statu ita perferretur, vt nullum inordinatum motum haberet, qui præveniret rationem, & quòd voluntas simili modo non perferretur; sed iuxta constantem sententiam Theologorum appetitus sensitivus ita perferretur aliquibus donis, vt ratione illorum maneret ligatus quoad omnem motum deordinatum: ergo idem dicendum est de voluntate.

.

Argumenta opinionis oppositæ.

139 Arguitur primò: Nullum est testimonium in scriptura sacra ad docendum, quod Adamus in illo statu innocentie non potuerit dicere verbum otiosum, aut leve mendacium: ergo nec debet affirmari, quod non posset peccare venialiter.

Ad hoc argument. respondetur, quod licet non sit authoritas expressa in Scriptura docens nostram assertionem, colligitur ex testimonij PP. Nec desunt sufficientes rationes, quibus ostenditur sententia D. Thom. qui (apud nos saltem) prævalere debet Scoto, & alijs Theologis.

140 Arguitur secundò. Nam qui potest eligere maius, etiam potest eligere minus; sed Adamus in statu innocentie poterat peccare mortaliter, v.g. proferre mendacium perniciosum, quod est maius malum: ergo poterat etiam peccare venialiter proferendo mendacium iocosum, quod est minus malum.

Et confirmatur. Sicut Deus prohibuit primis parentibus esum pomi sub veniali, ita potuit illud prohibere sub veniali: esus enim ille, cum de se esset materia parva, non est ratio, cur non potuerit prohiberi tantum sub veniali; sed tunc Adamus potuit de illo comedere; sicut defectò comedit: ergo tantum peccaret venialiter.

Ad argument. respondetur, maiorem esse veram, dum non est specialis aliqua ratio, quare quis non posset eligere minus malum, quando potest eligere maius, vt in præfenti contineret. Siquidem status ille erat ita in se ordinatus, vt non posset destrui nisi ex parte subordinati ad Deum, quæ erat effectus primarius illius. Manente autem prædicta subordinacione, non datur locus ad aliam quamlibet deordinationem, quia iuxta providentiam ordinarum nequit destrui effectus secundarij, quin destruat primarius. Et propterea in illo statu homo potuit peccare mortaliter, quin posset peccare venialiter.

Ad confirmationem respondetur, concedendo absolute maiorem. Sed cum eo stat, quod Deus non posset, attendente communi providentia huius status, prohibere esum pomi sub veniali, nisi præcederet aliud præceptum grave, v.g. circa conversionem in Deum finem supernaturalem, itaut non posset homo in illo statu frangere præceptum circa esum pomi, nisi prius frangeret præceptum circa prædictam conversionem. Nec hæc solutio est voluntaria, siquidem fundatur in ratione satis efficaci Div. Thomæ.

141 Arguitur tertio. Nam homo in statu inno-

innocentiæ erat liber in abstinendo se, v. g. à levi mendacio: ergo poterat illud proferre. Antecedens probatur: nam mereretur illud vitando: ergo erat liber in se ab illo abstinendo.

Ad hoc argument. respondetur, quòd sicut Angelus in primo instanti erat liber in elicientia actus caritatis, & meruit per illum, quin posset peccare per eius omissionem, & sicut confirmati in gratia, vt Baptista, & Apostoli, libere vitabant peccata mortalia, & mererantur per vitacionem illorum, quin possent ratione doni confirmationis peccare mortaliter: similiter homo in statu innocentie erat liber in vitandis venialibus, & mereretur per eorum vitacionem, quin posset peccare venialiter. Ad quod accedit specialis ratio pro homine existente in illo statu: siquidem absolute & simpliciter poterat peccare venialiter, quatenus per peccatum mortale poterat à se excludere iustitiam originalem, qua excluda, tam potentia antecedenti, quam consequenti poterat peccare venialiter, quamvis in sensu composito iustitiæ originalis non posset peccare venialiter. Quod in summa est idem, ac dicere, quòd non potest peccare venialiter, priusquam peccet mortaliter.

142 Ultimo, & vrgentiùs arguitur. Quia nulla dispositio intrinseca erat in illo statu impediens hominem, ne peccaret venialiter: ergo ab intrinseco erat potens peccare venialiter. Antecedens probatur: nam nulla dispositio ibi erat impediens hominem, ne peccaret mortaliter: ergo nec erat illum impediens, ne peccaret tantum venialiter.

Roboratur hoc. Nam dispositio hominem impediens, ne peccaret venialiter, esset iustitia originalis cum omnibus perfectionibus & donis sibi adiunctis; sed iustitia hæc non erat satis ad impediendum illum, ne peccaret mortaliter: ergo nec erat satis ad eum impediendum, ne peccaret venialiter.

Roboratur magis. Nam propterea iustitia originalis non impediens hominem, ne in illo statu peccaret mortaliter, quia consistebat in habitu, & habitibus vltimæ, cum volumus; sed hæc ratio probat, quòd non est satis ad hominem impediendum, ne peccaret venialiter: ergo.

Confirmantur hæc omnia: Nam sicut iustitia importabat specialem perfectionem, ratione cuius pars superior subdebatur Deo, ita importabat speciales perfectiones, quibus pars inferior subdebatur parti superiori, & appetitus sensitivus rationi, & corpus animæ; & nihilominus illa perfectio non ita subiciebat partem superiorem, vt constitueret illam impotentem ad peccandum (cuius peccatum ex genere est mortale) ergo nec alie perfectiones ita debent subicere vires inferiores, ne possint peccare, quarum peccatum esset veniale. Patet consequentia à paritate: nam cum perfectio descendens in partibus inferioribus sit originata à prima perfectione resi-

dente in parte superiori, non posset esse magis activa (vt sic dicamus) ad subijciendas partes inferiores superiori, quam perfectio residens in parte superiori ad illam subijciendam Deo, alias effectus excederet suam causam: proindeque, manente subordinatione partis superioris ad Deum, poterit introduci aliqua inordinatio in partibus inferioribus, & dari peccatum veniale, quin præcedat mortale.

Ad hoc argument. cum omnibus suis aditamentis, & confirmationem, Respondetur, quòd licet iustitia originalis non ita subijceret partem superiorem, vt redderet illam impeccabilem absolute; supposita tamen subordinatione illius ad Deum, necessariò fateri debemus, quòd relique vires manebant omnino ligatæ, & impeditæ ad quamlibet deordinationem circa sua obiecta. Et ratio huius est; quam supra tradidimus: quia scilicet, manente effectu primario alicuius formæ, necessariò, saltem per ordinem ad causam creatam, debet sequi effectus secundarius illius. ¶ Nec obest contra hoc probatio adducta in confirmatione, quæ videbatur magis vrgere. Nam homo in illo statu habebat omnimodam libertatem ad conservandam, vel repellendam iustitiam originalem quoad omnes suas perfectiones; non tamen habebat libertatem ad illam repellendam quoad perfectiones residentes in viribus inferioribus, manente iustitia originali quoad perfectionem residentem in parte superiori. Sicut defacto homo habet plenam libertatem ad conservandam gratiam, vel repellendam; semel tamen ea existente, non est in eo libertas ad abijciendas à se virtutes à gratia promanantes, & residentes in potentijs. Par enim est utrobique ratio.

Suppositis tamen perfectionibus, quæ in alijs viribus residebant, nullus motus inordinatus in eis poterat insurgere: quia ratio superior, cui subordinate erant, aut debebat in seipsa deordinari, cum in illo non habeat locum motus inordinatus ex semiplena deliberatione, aut debebat impedire talem motum. Neque obstat, quòd perfectio residens in viribus inferioribus consistebat in habitu, sicut perfectio inhærens parti superiori. Propter rationem dictam. Et quia donum confirmationis consistit in habitu; & tamen ratione illius redditur homo impeccabilis saltem moraliter. Et vt tradit Illustrif. Godoy in hac 1. 2. disp. 48. à num. 25. cum alijs Theologis, non repugnat aliquis habitus reddens hominem absolute impeccabilem. De quo, & de dono confirmationis non nihil dicemus in tract.

seq.

DU.

DUBIUM III. Appendix.

An Angelus possit peccare tantum venialiter?

Hoc dubium excitat Div. Thom. in præf. quæst. 89. art. 4. & propterea illud per modum appendixis disputationis exponimus. Pro quo nota, Angelum posse considerari in pluribus statutibus. Primò considerari potest, prout est beatus. In quo debet supponi non posse peccare venialiter, aut mortaliter. Secundo in statu, quem haberet, si conderetur in puris naturalibus. In quo etiam supponi debet, quòd non potest peccare mortaliter, aut venialiter: quia est absolute & abintrinseco impeccabilis directè circa legem nature, quæ tantum in illo statu obligaret, vt latè ostendimus in suo tractatu. Potest tertio considerari in statu damnationis. Quarto, & vltimò potest considerari secundum se, & prædicendo à primo, & tertio statu, supposita tamen elevatione ad finem supernaturalem. Et de Angelo secundum tertiam, & vltimam acceptionem dubium potest procedere, sed præcipuè secundum vltimam. Cuius resolutio si fuerit negativa, evidenter infert resolutionem negativam pro statu damnationis.

Circa quod duplex est sententia. Prima affirmativa, quam defendunt Scorus, Gabriel, Almain. relati dub. præced. quos sequuntur plures PP. Societatis Valent. tom. 2. disp. 6. quæst. 19. punct. 1. Vazquez in præf. Suarez lib. 3. de Ang. cap. 8. Granad. 1. part. tract. 13. disp. 1. & alijs. Secunda est negativa, quam docet D. Thom. loco nuper relato, & communiter eius discipuli, quibus adhærent NN. Salmant. in brevi Comment. præcit. art.

§. I.

Sententia D. Thom. eiusque ratio.

143 **D**icendum est, Angelum non posse peccare venialiter, sed omne eius peccatum debere esse mortale. Et probatur ratione D. Thom. nam Angelus nihil potest inordinatè appetere nisi cum ordine actuali ad vltimum finem particularem indebitum: ergo nequit peccare tantum venialiter, Consequentia est legitima: nam in hoc distinguitur peccatum veniale à mortali, quòd illud est circa media & præter finem, & illud circa finem, vt diximus disp. præc. dub. 5. proindeque quilibet defectus circa finem est peccatum mortale. Antecedens verò probatur: nam Angelus omnia resolvit vsquead prima principia, itaut non cognoscat conclusiones seorsim, vt in nobis contingit, sed prout in principijs; sed

primum principium in agibilibus est vltimus finis particularis: ergo nihil potest appetere nisi cum ordine actuali ad vltimum finem particularem.

144 Huic rationi dupliciter potest responderi ex doctrina adverbiorum. Primò negando, quòd Angelus debeat omnia intendere propter vltimum finem particularem. Nec oppositum sequitur ex paritate intellectus: nam hæc potentia est necessaria in cognoscendo, & propter hoc, & eius actualitatem & immaterialitatem non potest cognoscere conclusiones, nisi in principijs. Voluntas verò est libera tam circa finem, quam circa media, ideoque non cogitur intendere finem, quando elegit media, nec e converso. ¶ Secundo permittendo, quòd omnia appetat propter vltimum finem particularem. Sed hinc non sequitur, quòd leve mendacium includeret mortalem deformitatem, esto ordinetur ad appetitum inordinatum propriæ excellentiæ.

Prima evasio breviter refellitur ex dictis tract. de Angel. Tùm quia intellectus, & voluntas debent convenire in eodem gradu immaterialitatis; sed intellectus Angeli ratione suæ immaterialitatis nequit intelligere conclusiones nisi in principijs: ergo nec voluntas potest appetere media nisi per ordinem actualem ad suum vltimum finem particularem. ¶ Tam etiã. Nam sicut voluntas Angeli non est necessitata quoad exercitium ad actualem appetitum sui vltimi finis, & mediorum, ita intellectus illius non est necessitatus ad considerationem omnium conclusionum, & principiorum, hoc enim est supra merita eius immaterialitatis; & tamen petit hæc, vt nequeat cognoscere conclusiones nisi in principijs: ergo etiam postulat, vt non possit appetere media nisi per ordinem actualem ad vltimum finem particularem, vt sic appareat debita proportio inter has potentias, & reluceat excessus vtriusque potentie in immaterialitatem & actualitatem supra infimam immaterialitatem, & potentialitatem nostrarum potentiarum.

Secunda evasio potius est digna contemptu, quam impugnatione. Siquidem indubitatum est apud omnes, quòd actus secundum se levis capit malitiam gravem, si actu ordinetur ad finem secundum se gravem: sicut minima actio accipit bonitatem meritoriam vitæ æternæ, si actu ordinetur ad vltimum finem: ergo vel dicendum est, quòd vltimus finis malus Angeli non est obiectum graviter peccaminosum, & sic in suo primo peccato non peccavit graviter: vel dicendum, quòd Angelus malus non ordinat actualiter omnes suas actiones ad prædictum finem: vel tenendum est, quòd in omnibus mortaliter peccat.

X

§. II.

Fundamenta oppositæ sententiæ.

445 **A**rguitur primò: Angelus potest habere cognitionem indifferenter circa obiectum leviter peccaminosum, quin teneatur habere cognitionem vllam circa vltimum finem particularem: ergo potest peccare venialiter. Antecedens probatur: tum quia Angelus non est ex natura sua determinatus ad actualem considerationem sui vltimi finis particularis: ergo potest habere cognitionem indifferenter circa obiectum leviter peccaminosum, quin teneatur habere cognitionem vllam circa vltimum finem particularem. Tum etiã: nam propterã Angelus nequit cognoscere conclusiones nisi in principijs, quia habent necessariam connexionem cum illis; at media non habent necessariam connexionem cum vltimo fine particulari: ergo.

Ad hoc argument. respondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd licet Angelus non sit ex natura sua determinatus quoad exercitium ad suum vltimum finem particularem considerandum; est tamen determinatus quoad specificationem, quia in suppositione, quòd libere determinetur ad considerandum ea, quæ sunt ad talem finem, iam manet determinatus ad considerationem actualem vltimi finis particularis. Sicut non est determinatus quoad exercitium ad considerationem actualem omnium principiorum; & tamen determinatus quoad specificationem ad hunc finem, vt si determinatur ad cognitionem conclusionum, tenetur ex natura sua ad actualem considerationem eorum: & non est inferioris conditionis natura Angeli in ordine ad principia practica, quorum primum est vltimus finis particularis, quam in ordine ad principia speculativa.

Ad secundam probationem respondetur, in ea non reddi causam pro causa. Ratio enim, cur Angelus cognoscit conclusiones in principijs, non est connexio illarum cum illis, aliàs nec homo posset eas aliter cognoscere; & vtrumque est falsum. Ratio igitur cur eas cognoscit in principijs & non aliter, est summa actualitas illius, ratione cuius vnico intuitu & absque discursu cognoscit principia, & conclusiones in ipsis, & eo modo quo continentur in illis, sive necessariò, sive contingenter. Unde hæc probatio torqueri debet contra arguentem.

146 Arguitur secundò: Nam in Angelo potest dari aliquis motus semipleme deliberatus: ergo potest peccare venialiter. Antecedens probatur: nam propterã non posset in eo dari talis motus subrepticus & semipleme delibera-

tus, quia nulla est in eo cognitio indeliberata liberum ipsius arbitrium præueniens, & talem motum in eius voluntate causans, vel quia elto præueniat liberum eius arbitrium, assert tamen plenam advertentiam obiecti, & omnium circumstantiarum illius; sed vtrumque est falsum: ergo potest dari in voluntate Angeli aliquis motus subrepticus & semipleme deliberatus.

Minor quoad primam partem probatur primò: Nam Angelus est capax extrinsecæ excitationis, vel per locutionem alterius Angeli, vel per illuminationem Dei; sed cognitio causata ex prædictis excitationibus est indeliberata, & præueniens liberum imperium ipsius Angeli illuminati, & audientis: ergo potest in eo dari aliqua cognitio liberum eius arbitrium, & imperium præueniens. Secundò: Nam licet Angelus non possit excitari ab obiectis extrinsecis, à quibus immediate non immutatur, potest tamen excitari ab aliqua specie, ex ijs quas continet, ante vllum imperium voluntatis, quia eius species non minus apte sunt ad excitandum intellectum illius, ac obiecta ipsa, si ab eis posset immutari: ergo idem quod prius.

Quoad secundam partem probatur eadem minor: Tum quia potest contingere, quòd vnus Angelus loquatur alteri de aliqua re, cuius notitia non representet in Angelo audiente obiectum in se, vel secundum omnes circumstantias, quæ representantur in Angelo loquente, & Angelus audiens ducatur ex testimonio illius: ergo cognitio Angeli audientis non assert se plenam advertentiam. Tum etiã: Nam potest accidere, quòd Angelus nimis occupatus in consideratione alicuius rei gravis excite- tur ad notitiam alterius obiecti vehementer allectivi voluntatis angelicæ; sed tunc cognitio non haberet plenam advertentiam de illo obiecto ob nimiam occupationem in alio disparato: ergo idem quod prius. Adde: Quia in Angelo potest dari simplex apprehensio, qua eius voluntas moveatur ad aliquem motum indeliberatum.

Ad hoc argument. respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem, concessa maiori; neganda est minor quoad vtramque partem. Et ad primam probationem dicendum est, quòd sive Angelo loquatur Deus, sive alter Angelus, iam præsupponit in se speciem completam ab initio suæ creationis cuiuscumque obiecti, de quo loquendum, vel illuminandus est, ad cuius audientiam necessaria est libera applicatio per voluntatem audientis, nec auditio potest aliter fieri. Verum quidem est, quòd Deus de potentia absoluta potest excitare Angelum, & illuminare per productionem novæ speciei, cuius cognitio precedat liberum imperium voluntatis, vt contingit in primo in-

stanti: sed illa cognitio asserret plenam advertentiam obiecti, sicut aliæ cognitiones ortæ ex alijs speciebus iam causatis, & hoc petitur ex actualitate nature angelicæ. ¶ Ad secundam facile respondetur, dicendo, quòd Angelus pro suo libito vitur suis speciebus, habitibus enim vtrum, prout volumus; & sic à nulla specie accidentali potest excitari antevertenter ad imperium suæ voluntatis.

Ad primam probationem posterioris partis iam constat ex dictis, quòd locutio vnus Angeli ad alium nequit fieri per productionem novæ speciei, neque Angelus audiens audire potest absque ea, & propterã debet habere plenam notitiam de obiecto locutionis. Ad secundam: Respondetur, quòd cum Angelus possit per vnam, vel plures cognitiones totum vniversum cognoscere, nulla occupatio, est gravis, circa vnum obiectum, potest illum impedire à plena cognitione alterius. Maxime, quia nullum est principium, à quo excitetur, nisi ab imperio libero suæ voluntatis.

Ad additamentum respondetur primò,

quòd in Angelo propter suam actualitatem nequit dari simplex apprehensio distincta à iudicio. ¶ Respondetur secundò, quòd, permisa prædicta apprehensione, non esset potens ex se causare aliquem motum in voluntate: quia requiritur ad hoc præter nudam apprehensionem bonitatis obiecti collatio de convenientia illius cum appetitu, quæ prærequirit iudicium. Aliter contingit in appetitu sensitivo, qui movetur ex instinctu nature. Videantur NN. Salmant. tract. 7. disp. 10. à num. 31. vsque ad 33.

Ex quibus infertur primò, quòd in Angelo non potest dari aliquod peccatum veniale ex imperfecta deliberatione. ¶ Infertur secundò ex toto hoc dubio, quòd in demone omnia, quæ videntur esse venialia, esse simul mortalia: quia ad ea movetur ex sine superbia, & ex amore propria excellentiæ, vt tradit D.

Thom. in præf. ad 3. Et hæc sint factis pro toto isto prolixo tractatu.

..

